



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XXVI. Vacante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

eandi, seu suum faciendi statutum, voluntas à Principe non exprimitur, tunc regulariter loquendo Principis confirmatio non censetur mutare statutum, illudve avocare à proprijs statutibus, dummodo hi legis condendæ potestatem habeant; consequenter hi statutum, tamen ob publicum favorem factum videatur, eodem modo unâ cum Episcopo revocare poterunt, sicuti alia sua statuta, prout *Suarez* tradit *loco cit.* & consentit *Bart. incit. L. omnes populi. n. 33.* Juxta quam doctrinam Regula tradenda est, quod statutum à Principe confirmatum tolli possit à proprijs statutibus, nisi Princeps expressè prohibuerit, vel aliquid adjecerit, quo significetur, quod statutum suum fecerit, & mutandi potestatem inferioribus aemerit.

Notandum quintò. Si ex pluribus correis, quorum eadem causa est, unus condemnatus sit, non debet id alteri obesse ad condemnationem. Ita etiam docui in *c. penult. de appellat. not. 2.* addita exceptione, si res, circa quam sententia lata est, indivisibilis existat, v. g. communis servitus, tunc prodest, aut obest etiam alijs communem causam habentibus, prout etiam tradit *Gl. hic communiter recepta V. non obstat.* Vide, quæ docui in *C. penult. de re judicata.*

CAPITULUM XXVI.

Vacante.

PARAPHRASIS.

Cùm præbenda Canonicalis vacaret, Episcopus cum Capituli consensu duos Canonicos constituit, eorum altero mortuo, præbenda ejus per Apostolicæ Sedis auctoritatem collata est Hyppolito; is super præbenda sua integranda litteras Apostolicas contra Episcopum postea impetravit, sed & alter præbendatus simili jure adversus Episcopum se niti perhibuit. Circa hunc casum, respondet Innocent. III. cùm Turonense Concilium præben-

darum sectionem prohibuerit, Episcopum obligatum esse, ex beneficijs, quæ vacaverint, integrare præbendas, præterquam, si ob causam rationabilem, ex vacante præbenda, duæ præbendæ constitutæ fuerint, atque utriusque præbendæ tot reditus sint, ut utriusque de competente beneficio provisum esse censeatur.

SUMMARIUM.

1. Potest Episcopus, cum consensu Capituli, exigente rationabili causa, beneficium, dum vacat, dividere, si reditus sufficiant pro duabus præbendis, alias præbendati ad reintegrandas suæ præbendas habent actionem.
2. Quæ sectio beneficiorum in Concilio Turonensi prohibetur.
3. Quibus in casibus propter redituum augmentum præbenda multiplicari, vel augeri possint.

Notandum. Episcopus cum consensu Capituli exigente rationabili causa beneficium, eum vacat, dividere potest, ita ut ex uno duo fiant, sicuti explicavi in *c. majoribus s. hoc. tit.* At necessarium est, ut reditus sufficiant pro duabus præbendis, alioquin male faciet Episcopus, divisionem instituendo, atque provisum actionem habebunt adversus illum, ad integrandas præbendas, sicuti hic indicatur; supplementio autem, seu integratio fieri tunc poterit ex beneficijs adundantibus, si vacaverint, ita ut portio aliqua redituum ijs dematur, & tenuioribus adijciatur, prout explicavi in *cit. c.* Sin autem nec ex beneficio vacante, nec alio simili modo succurrere possit Episcopus, tenebitur ex sua mensa reditibus interim providere, si uti dixi, male dividendo in culpa fuit, teste *Joan. And. hic. n. 2. Imola & Abb. n. 3.* ubi admonent, non esse necessarium, ut præbendæ noviter creatæ, sint æquales antiquis, sed satis esse, si & illæ sufficientes sint. *argum. c. ult. de consuetudine in 6.*

Corolla-

Dilectus.

PARAPHRASIS.

Clericus G. obtinuit ab Innocent. III. mandatum ad Capitulum Novariense de conferenda ipsi præbenda Canonicali, si quæ vacaret; sed Capitulum neglecto Apostolico mandato præbendam alteri contulit; eapropter G. questus est Pontifici, petens, ut quod de ipso cepisset, exequi dignaretur, sed Capituli Procurator opposuit, quod G. Clericus per subreptionem litteras papales impetrârit, falsò allegans in Ecclesia Novariensi præbendam vacare, cum eo tempore nulla vacaret, & idè mendax precatore carere debeat impetratis. Causam hanc postea Pontifex delegavit Episcopo Vercellensi, cum hoc mandato, si ipsi constiterit, quod eo tempore, cum Canonici litteras Papales receperunt, præbenda vacârit, quam ipsi alteri cum elusione Apostolici mandati conferre præsumperunt, ut dictum G. si sufficiens Ecclesiasticum beneficium non habeat, in Canonicum recipi faciat, & de redditibus Ecclesiæ annuatim ei provisionem fieri, donec præbendale beneficium consecutus sit.

SUMMARIUM.

Valida est collatio beneficij, qua fit Clerico contra mandatum Apostolicum de conferendo hoc beneficio alij cuidam, modo collatio non fuerit facta ab ipso Pontifice, & alij tantum ex cœsusio commissa, sicuti missio in possessionem, aut præbenda resignationem.

Notandum. Si Clericus mandatum adferat, de conferendo Canonicatu, aliòve beneficio, & collatores (preto mandato alteri conferant, valida est collatio. Quæ de re dicitur in c. si capitulo. 5. & sequente de concessione præbende in 6. Sed debet illi, qui contemptus fuit, provideri de alio bene-

Corollarium. In Concilio Turonensi duplex sectio beneficij prohibita videtur. Prima. Si ad unum beneficium duo recipiantur, hæc provisio impossibilis censetur, atque irrita, ita ut neutri jus acquiratur, *in 20. hoc tit.* Secunda. Si ex uno beneficio, eòque desinente, duo fiant, quando redditus utriusque non sufficiunt; sin autem sufficientes sint redditus, & rationalis causa dividendi adit, tunc non tantum validè, sed etiam licitè divisio beneficij, cum vacat, institui potest, prout docet Gl. in cr. c. Majoribus V. divisionem Imola hic n. 5. Garzias p. 12. c. 4.

Unversim hic queri potest, an & quibus casibus propter reddituum augmentum præbendæ seu beneficia multiplicari, vel de novo creari debeant. Resp. cum distinctione: vel numerus præbendarum, v. g. Canonicalium, determinatus non est, tunc regula tradi debet, quod tot institui debent, quot ex Capitularibus redditibus, detractis alijs expensis, & oneribus, commode ali possunt; idèquè dicendum de numero Religiosorum, prout docui lib. 4. trakt. 2. c. 10. n. 1. Vel numerus præbendarum determinatus est, tunc iterum distinguendum; num redditus præbendarum distinctarum augeantur, an verò redditus communis massæ seu mensæ capitularis. Primo casu major requiritur causa, & necessitas, ad augendum præbendarum numerum, videlicet, ut pro temporis statu appareat defectus ministrorum, & imminutio cultûs divini; item, si apparet, quod Canonici reddituum copiâ abutantur ad luxum, & res profanas: alioquin verò beneficia, si vacant, integra & sine diminutione conferri decet, cum ipsi veluti jus quoddam reddituum suorum acquisitum sit, atque pertineat ad decorem Ecclesiæ, ut ministri seu beneficiarj abundantes redditus habeant ad opera misericordiæ, & charitatis exercenda, prout hic Abb. notavit n. 5. In altero casu sufficiens hæc causa erit præbendarum numerum augendi, si Capitulares redditus multum augeantur. arg. cit. c. cum Al.